

*que percipio*. Canonica quippe electio siue personæ electæ designatio ad Clerum sæcularem & Regularem & ad optimates civitatis Patriarchalis pertinet: Consecratio autem ad Synodum Episcoporum Provincialium. Justiniani novella 123. cap. 1. *Sancimus igitur, quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis, cuius futurus est Episcopus, ordinari, mox in tribus personis decreta facere, propositis ei Sacrosanctis Evangeliiis periculo suarum animarum dicentes in ipsi decretis, quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem. Cetera.* Et post pauca. *Si vero, ut evenit in quibusdam locis, non inveniuntur tres personæ ad talem electionem opportuna, liceat decretum facientibus, in duabus, & in una persona decretum facere.*

Pars III. Subnectit integram perfectamque atque omnî ex parte elucidatam & copiosam Fidei Catholicæ professionem. *Illam igitur dicturus advenio quæ ab initio in Sancta & Catholica Ecclesia natus & nutritus perdidici, & a mollibus percepi unguibus sapere, & prædicantibus votis a Deo inspiratis audivi. Credo igitur, beati, secundum quod a principio credidi, in unum Deum Patrem omnipotentem, sine principio penitus & sempiternum. Cetera. De Trinitate & Unitate satis copiose.*

Pars IV. De Verbi Dei Incarnatione. *Qualiter quoque & de Incarnatione unius de eadem venerabili Trinitate Dei Verbi & Filii clementissima atque admirabili, hoc est, de summa exinanitione atque deifica descensione, teneam atque sentiam, & tenere a Sanctis Patribus, qui secundum vos a Deo inspirati sunt, mihi est traditum, tamquam coram ipsa veritate, quæ conspicit universa, Synodicam hanc literam scribens expovo, & ad vestrum destino sapientissimum auditum. Post prolixam de duabus Christi naturis, & una persona professionem, ostendit, unum quidem esse Christum Dominum, Deum perfectum, & hominem perfectum, eundem ipsum consequenter operari quæ divina sunt, ut Deum, & quæ humana sunt, ut hominem; duas proinde operationes in Christo desin-*

tim